CLEMENTE XIV.
PONTIFICE MAXIMO
RENUNCIATO.
ANGELI DURINI
ARCHIEPISCOPI ANCYRANI
IN REGNO POLONIAE & MAGN. DUC. LITHUANIAE
CUM FACULTATE LEGATI a LATERE
NUNTII APOSTOLICI.
PLAUSUS.

VARSAVIÆ.
Typis S. R. M. & Reipublicæ
Scholarum Piarum.

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI MAXIMO PRINCIPI AUGUSTISSIMO

ANGELUS ARCHIEPISCOPUS ANCYRANUS.

NOn ſum paſſus, SANCTISSIME PARENS Generis humani, inter communes gratulationes perire gratulationem meam. Neque enim æquum videbatur, voces meas publicis vocibus miſceri, tùm quia Tuus in Polonia

Nuntius, tum quia admiſſus in ſacra illa Tua Sanctorum Apoſtolorum penetralia ſuſpiciebam faſtigium ingenii Tui, præſenſeramque,

Te fore ſupremæ ſtatuendum in limine Sedis:
Sidera ſumma frui augurio, votoque dederunt;
Nec Fortuna fuit, meruit ſua præmia virtus.

Nec tamen facile eſt decernere an debeam Tibi felicitatem gratulari; nam & primam Purpuram virtutibus Tuis debebas, nec poſtquam hanc Dibapham, hanc vere Quirinalem Trabeam Cœli conſenſus Tibi detulit, ulla ex parte felicior Tibi videri potes, niſi in parte felicitatis locas, quod felicitatem in alios ſpargere potes. Natus eras ad avertendum cumulum earum calamitatum, quæ Pontificiam Regionem, dignitatemque labefactaſſent, niſi ingruentibus malis DEUS Opt: Max:

Max: obviam iviſſet fauſtiſſima TUA in ſummum Pontificem electione. Sed quod TE SANCTISSIME PATER etiam præter Majeſtatem Auguſtiſſimi faſtigii, ex quo humana omnia infra TE deſpectas, ſupra cæteros mortales extollit, illud eſt, quod omne Genus hominum in TUI admirationem rapitur. Alios Sanctitas morum commendabat, non peritia publicæ adminiſtrationis; alios tollebant regnandi artes nulla gloria doctrinarum fulgentes; Hunc gratia, Illum vigor animi laudabat. TU in ea fluctuatione rerum humanarum ſediſti ad clavum orbis terrarum, in qua & Sanctitas vitæ, & robur invictæ mentis, & dexteritas conſiliorum, & animus non minus contemplando, quam agendo natus oſtendunt utramque paginam divini ingenii TUI. Nam de gloria doctrinarum

ſilere

ſilere ſatius eſt, qua TU cum iis omnibus, qui in iſta auguſta, & Sacroſancta Cathedra ſederunt certa deſtinatione victoriæ contendis. Hæc fateor, me invitabant ad prolixius carmen. Sed quo magis admirabilia TUA omnia ſunt, eo ſibi potius Hiſtoriam poſcunt, ingentemque materiam ſcriptoribus ſuppeditabunt. DEUM Immortalem veneror ut in ſalute iſtius Auguſtiſſimi Capitis, omnis ſapientiæ ærarium, imo vero ſalutem & felicitatem Generis humani ſervatam velit; Interim veſtigia TUA magno gradu ad Cœlum vadentia pronus exoſculor. Varſaviæ. Idib. Junii. MDCCLXIX.

CLE-

CLEMENTI XIV.

PONTIFICI MAXIMO CREATO

O D E.

QUis poſſit unquam, quis Tibi Cælitum
Rex magne grates ſolvere debitas,
Non ipſe, quamvis mille vivam
Sæcula, mille ſonemque linguis.

Seu lucem Eous, ſeu tenebras ferat
Surgens ab Oeta veſper, & omnibus
Nunquam fatigatus laborem
Chriſte tuas memorare laudes;

Qui cum ſuavi Numine temperes
Cælumque, Terraſque & mare naufragum,
Tamen tueris nos tenellam
Ceu ſobolem TIBI cariorem.

Heroas

Heroas olim nam DEUS inclytos
Noſtro regendo præpoſuit gregi
Virtute præſtanteſque, mirâque
Aſtra ſuper pietate notos.
Nunc quartus, Heros, poſt decimum venit
CLEMENS benigno miſſus ab æthere,
Qui nos & exactos olympo
Inferat, & ſpoliis onuſtos.
Qualem profundo vulnere ſaucius,
Supremus urget lumina cum ſopor,
Vitamque feſtinantem ad umbras
Vix tenuis remoratur aura,
Periculoſo ſentit opem malo,
Expertus artis ſi medicus novæ,
Hærede jam cippum parante,
Reddat eum Patriæ & propinquis;
Tali labantem præſidio Pater
Tutaris urbem, o Pontificum decus,
Viresque conſuetumque Sancti
Imperij revocas vigorem.
Non Theſſalis Tu, Tu neque Ibericis
Uſus medelis, non ope barbarâ,
Qua Colchis optanti recoctum
Reſtituit Socerum Marito;
Sed prompta virtus, ingenium ſagax,
Et ſuſtinendis rite negotiis
Mens apta, fataleſque rerum
Mire opifex ſecuiſſe nodos,

Caligi-

Caliginosi verum animus sagax
Semper futuri, cernere Lynceus;
In publicis hæc sola morbis
Est panacea, nigrumque moly:
Hinc Roma læto TE videt & colit
Serena vultu; jam posuit metum,
Tutosque per campos quietâ
Jt placidus Tiberinus undâ.
Assultat undis Albula grandior
Padus susurrat murmure, dum ruit
Undosum in æquor: gaudet ampli
Danubii, Rhodanique potor.
Quassata diro Marte Polonia
Respirat almo numine sub TUO,
Et sperat in falces recudi
Deposito frameas Gradivo.
Antiqua virtus it pede libero,
Jam currit orbem fausta beatitas,
Non sceptra, sed *mores* gubernant,
Integritas rogat ipsa leges.
Exultat omnis, qua patet, orbita
TE propter, ingens Italiæ decus,
Et splendor orbis universi,
Qui modo nos regis unus omnes,
Qui Pastor hic nos pascis oves TUAS
Septem Quirini collibus in sacris,
Quod fiat o longum per ævum,
Atque Petri superes senectam.

Quod ſi puſillum reſpicies meæ
Munus Camænæ, ſic animoſior
Accingar ad majora, noſtros
Audiat ut TUA Roma cantus;
Vatemque norit, cui neque publica
Sit vena cordi, nec placeant modi
Triti ſaporis, ſed renaſcens
Quos tereti probet aure Flaccus.

ODE.

CEſſavere Noti, Zephiris & lilia vernant,
Incolit arva Ceres;
Ceſſavere Hyades, nec jam pluvialibus hædis
Verberat imber humum.
Omnia lætantur disjectis nubibus atris,
Et nemus omne viret.
Ferte roſas calathis, intendite limina ſertis
Fundat avena ſonos.
GANGANELLUS adeſt Pater auguſtiſſimus orbis,
Præſide quo Latij
Humano Generi ſuperi faviſtis abundè;
Erige Roma caput,
Deſine jam mollium lacrymarum, hilarique triumpho
Elue triſtitiam;
Pontificem jam Roma tenes, quem Chriſtus Olympi
Miſit ab arce Tibi,

Una Viro virtus cui dux fuit alma, recluſitque
Atria Romulidum,
Supremique aditus tandem patefecit honoris.
Par caput orbis habet.
Hic vir hic eſt, miſeris qui ſe Dominumque, Patremque
Præbeat, inſidias
Occultas contra, atque arma injuſta Potentum.
Qui vetet uſque ſacros
Indignis titulos tribui, atque ad culmina rerum
Artifices ſcelerum
Extolli; fraudes qui mille, & mille rapinas
Arceat, innumeras
Atque nocendi artes, quas toto ſparſit in orbe
Imperioſa Fames
Divitiarum, auri & nunquam ſatiata cupido,
Cœcaque luxuries
Qui pro lege Dei ſit *Murus aheneus*, omnes
Sit Tuba per populos
Signa Crucis reſonans, Chriſti Garamantas & ultra
Proferat Imperium.
Quique *triceps* ſit *Mons triplici* ſub *ſidere* monſtrans
Arduam ad aſtra viam.
Quo vetus Urbi almæ conſtabit gloria, qui rem
Reſtituet Latiam.
Quo tandem à miſeris rubigo turpis ariſtis
Tranſeat in gladios;
Quo paſcente greges mutabunt murice vellus,
Graminibusque, rubos,

Et cythiſum paſtæ ſalicesque hederaſque virentes
Flumina pura bibent;
Ubera diſtentas video jam lacte capellas,
Nec pavet agna lupos,
Felices ter oves Tanto Paſtore, quid uſquam
Quod timeatis erit?
Omnia nunc rident, quin duris quercubus ultro
Roſcida mella fluunt.
O Salve ter Sancte Pater, Cumœaque læctus
Sæcula vive Gregi.

O D E

De Eccleſiæ Navi.

HEu! belluoſis inclyta fluctibus
Jactatur alto Navis, & undique
Urgetur immani profundo
Velivoris agitata ventis.
O quid paras Rex, qui mare, qui Polum
Nutu regis? Num diffluit irrito
Sancita juſſu lex Suprema,
Conſiliumque ſeneſcit ævo?
Depone inanes ſollicitudines
Quiſquis tenacem propoſiti DEUM
Vexas querelis; quæ hic jubet, ſtant
Imperio ſtabilita certo.

Cre-

Credis supinum Numen? at occupat
TE somnus, almæ nec sapientiæ
Miraris artem, per procellas
Usque Petri properat carina.
Qua vectus olim est, expediit metu
Cæsar Triremem, navifragi maris
CLEMENTE, Navim istam regente
Impavidam jubet esse Numen.

AD FORTUNAM
ELECTO IN SUMMUM PONTIFICEM FRANCISCO LAURENTIO CARDINALI GANGANELLIO
ELEGIA

CRedita Olimpicolum multis augere cohortem
O Fortuna, ulli nec Jovis Imperio,
Consilioque hominum Sapientum obnoxia, cœlo
Jam discede, Tibi haud debita Cælituum
Est Sedes, discede aris, neque pollue Templa
Sacra viris, vivax qui meruere decus,
Monstrum infidum, ingratũ, anceps, cui lumen ademptum
Instabili versans undique cuncta vice,

Nec

Nec constans mage inæqualis quam sunt freta Ponti
Hadriaca, assiduis exagitata notis.
Teque, tuæque rotæ, Fortuna, volubilis Orbem
Miretur vulgi credula simplicitas,
Observetque; tuas Sapiens, vulgoque remotus
Artes irridet, cætera despiciens
Te sine, se Virtus agit & contenta triumphum
Perpetuum; rubræ sic decus ille Togæ
Sic GANGANELLUS recta virtutis amussi
Omnia vestigans, Pontificale pedum
Obtinuit; Mens una fuit, fuit una voluntas
Purpureis Patribus; omnibus ales amor,
Ille ales divinus Amor, spiravit amorem:
Nunquam major Concordia visa fuit;
Et quem quisque sibi sperare veretur honorem
GANGANELLO ultro detulit; ergo salit
Lætitia, & festo miscetur Roma tumultu.
Æra canora sonant; Arx tonat Aligeri;
Mole, ac plebe simul Petri sacra Templa laborant,
Undat Gens Portis omnibus, atque iterum
Spissius exundat, premiturque, premitque vicissim
Turba ruens, festo & murmure clamat Jo
Victor Jo, celebres renovans hac voce Triumphos
Priscæ Urbis: nullo Principe Roma putat
Se tam felicem, nec spes extendit in Orbem
Latius: Invideas perfidiosa licet
Huic tanto Fortuna Viro; certe efficies nil
Ille nisi ut toto clarior Orbe micet.

Tu mala ſed pereas, virtus ſuperaſſe probatur
Tam certo indicio; deſine Livor edax
Tentare Heroas, favit queis Numen amicum,
Quos inter chartis concelebrare meis
Æquum eſt CLEMENTEM. magnum ſpectate Tropheũ
Victâ ut Fortunâ erexerit Eximius.
Salve inſperatum lapſo decus addite ſæclo
Re everſa unum ſperabile præſidium.
Macte animo: vexit tua te ſuper æthera virtus
Promeritum, cælo, Magne, jubente, Parens
Aggredere ingentes terraque volente triumphos
Quocunque intendes brachia pacifera
Obvia cuncta ruent celeri proclivia curſu,
Jungere nulla TIBI reſpuet ora manus,
Seu petis avulſas Gentes in fœdus avitum,
Seu cupis Arctoas pacificaſſe plagas;
Extemplo dextræ coeant in fœdera, nemo
Romani nexus cunctet inire Patris.
Par Caput Orbis habet. Tu dignum hac mente Theatrum
Afflictas tantis tu potis exitiis
Solari Gentes, Romanaque ſigna locare
Deijcit unde aras cæca ſuperſtitio.
Macte iterum Leges Duce Te, moreſque vigebunt
Innocui, ſurget Virginitatis Amor,
Illæſus candorque Animi, pietasque valebit,
Et veri cuſtos ſedula Relligio.
Urbs vicina DEO, proprior virtutibus, aſtra
Præcipiet meritis, donaque digna petet.

ELE-

ELEGIA.

HUnc Europa diem repetitis anxia votis,
Et vaga laurigeris fama manebat equis,
Hunc fore qui lucem meliori ſpargeret auro,
Candida quem Threſſis gemma notis lineret,
Quique daret claros, cœlo ſpectante, paratus
Et ſtrepitus, mundo concelebrante, pios,
Audiit actutum, priſcisque excita ruinis
Suſtulit Auguſtum Dardana Roma caput,
Non tunicâ illa humeros diri protecta Gradivi,
Non bellatrici preſſa comas Galeâ,
Jam Matrona gravis, jam vultu blanda ſereno,
Tœnia caſtigat torta capillitium,
Matronale decus Capiti Geſtamen honeſtum
Prodit & extremas lapſa ſtola ad ſoleas,
Aucta DEO, complexa DEUM per Templa per Aras,
Vera per & ritu ſacra litata pio.
Ergo ſibi plaudens, mira & dulcedine læta
GANGANELLE iſto te venerata ſono eſt.
Salve cura recens, mundi tutela labantis,
Et deſideriis debita meta meis,
Salve, quæque Tibi rerum moderamina dono
Accipe, quæque ſuo firmat ab axe DEUS
Numinis auſpiciis ſceptrumque ſacramque Thiaram
Aggredere, & Dominas, maximus Orbe, vices.
Orta Polo tua Regna; Tuos redituraque in ortus,
Auguſtos præ TE nil moror ipſa meos;

Vive

Vive diu fœlix, cujus memorabile nomen
Poſt mutos cineres fama loquetur anus;
Dixit & in veteres ſe rettulit illa receſſus
Imbuit & ſenſu corda Latina ſuo.
At tu fauſta Dies florenti prodita menſe
Floridior nobis, floridiorque redi.



TRADUZIONE

DELL' ABBE. DE SANCTIS SEGRETARIO DI MONSIGNOR NUNZIO.

MOrtal non ſei: folgor divin Ti luce
In volto, e i detti Tuoi fulmini ſono;
Mai come or Tu, ſe a mente ſi riduce,
Non parlò Roma in cosí degno ſuono.

Né l' alterigie dell' Emonio Duce
Sí fiacca il Demoſteneo altero tuono;
Né Tullio sí con molle fren conduce
La Cittá, che in Ciel tiene, e in terra il Trono.

Ma non queſto é il confin dei merti Tuoi;
Ogni dottrina è in Te, tutti in Te ſerra
Sacra, e Civil Giuſtizia i Dritti ſuoi.

Onde Sapienza diſſe; in ſacra guerra
Te Duce mando, io reſto in Ciel: ben puoi,
Ben puoi mie veci ſoſtenere in Terra.

ROMA

ROMA
Ad Eumdem.

NIl mortale ſapis, Majeſtas inclyta vultu
Emicat, ingenitum verbaque fulmen habent;

Non ſic grandiloqui Demoſthenis ora ſonabant,
Cum fando Æmonii frangeret arma Ducis;

Non cum Terrarum Reginam Tullius Urbem
Flexit ad eloquii mollia fræna ſui.

Dignius haud unquàm meminit ſe Roma locutam,
Sed nec ſola Tibi vis Magica Eloquii eſt;

Omnigenas almo doctrinas pectore claudis,
Juraque conſultus ſacra, prophana tenes.

His, inquit, meritis cæli Sapientia, noſtras
Jurè potes Terris obtinuiſſe vices.

TRADUZIONE
Del Medesimo.

AMan la terra i Numi. Al nostro affetto
Pietá rispoſer le sfere ſupreme;
Giá Padre abbiamo in terra, e in Ciel diletto
Qual potea chieder la più ardita ſpeme.

Aman la terra i Dei. Sostegno eletto
Del ſecol daſſi alle ruine eſtreme:
Oh dí, ch' Ei Padre del ſecol fú detto!
Numi, in quel di riamaſte il noſtro ſeme.

Quel dí muta in ſeren lunga procella,
Pari a lungh' anni. Ah ſia ſempre giocondo,
Finché i ſuoi giri tl tempo rinovella.

Due Primavere diero i Numi al Mondo;
Dei ſecoli il gran parto laſció quella,
Queſta or ripiglia il ſuo vigor fecondo.

Favi-

FAvistis Superi: pietas Divina querelas
Audiit humanas: diligit æther Humum.

Pontificem assensu Divûmque Hominumque tenemus,
Votorum qualem audacia discupiit,

Qui Mundum fulcire unus, succurrere sæclo
Qui valet everso; diligit æther Humum.

O formosa dies; misero quâ Maximus Orbi
Effulsit CLEMENS, quot mala læta dies

Compensas! Lux una annis par omnibus, una
Perque ævi immensos concelebranda sinus.

Jam verno genitum non abnuo tempore Mundum,
Ver illud peperit sæcula, at hocce novat.

TRA-

TRADUZIONE
Del Medesimo.

AL Gran Padre atterrita i suoi sospiri
Chiesa levó del Ciel sull' alta cima;
Vé, di quai mali io sia la preda opima!
Vedi; e il fonte sai pur de' miei martiri.

Vé, qual turbo ognidove egra m' aggiri!
Ahime! la prisca fé! la virtú prima!
In qnali abissi, oh Dio! tratta mi adima!
Quai brani di me fá crudeli, e diri!

Deh qual mai posa il ghermitore artiglio
Darammi? e qual ristoro avró pur mai
Dal fiel dell' amarissimo periglio?

A lei rispose; or vá, giá t' ascoltai;
Cessa i lamenti, e asciuga il caro ciglio;
Ecco CLEMENTE *al tuo governo avrai.*

Con-

CONflictata, novasque timens Ecclesia clades
Summum ursisse DEUM dicitur his precibus.

Quæ tulerim mala, quæque feram, Pater optime, nosti
Quo & derivetur fonte meum exitium.

Aspicis ut toto turber mœstissima mundo;
Hei mihi! quo virtus pristina, quo Pietas!

Quo rapior miseranda! agit heu! quis turbo procella
Horridus, & me me diripit immeritam!

Quam dabis heu requiem miseræ, DEUS alme? quousque
Hâc me insontem exercebis amaritie?

Cui DEUS, i felix, & desine lamentorum,
En Fidei CLEMENS jam capit Imperium.

Pen-

Pendente adhuc Electione.

ALma Fides olim votis TE poſcit anhelis
LAURENTI, & trino deſtinat Imperio.
Hoc timet atque artes viresque exſuſcitat omnes
Tartarus, hinc Romam conficit anxietas.
Nec dubitamus utrum ſit fortior orcus, an æther,
Sed nos noſtra tenent crimina ſollicitos.

De exoptatiſſima Ejusdem Exaltatione.

ORaret Superos cum tandem Roma Parentem,
Quem donaſſe decet Numina Terrigenis,
Per quatuor plenos Lunæ revolubilis orbes
Protraxere preces Numina Terrigenum.
Longa ſed explevit tam largo fœnore vota
Romulidum CLEMENS vectus ad Imperium;
Ut penes eventum poſſit ſpes noſtra videri
Cælicolum nullas ſuſtinuiſſe moras.

De Eâdem.

DUm titubat Romanus Atlas ſub pondere Mundi,
Et rurſum Herculeum poſtulat auxilium;
Dii Superi præceps veriti ne corruat orbis
Huic GANGANELLUM ſupposuere oneri.

Omni-

Omnibus Patrum Suffragiis, & Regum votis Pontifex eligitur Maximus.

GANGANELLUM orbis Pastorem Europa reposcit,
Cum nullum Puppis Romula Typhin habet;
Conspirant Regum studiis suffragia Patrum,
GANGANELLE orbem Romula ab arce regas:
Olim orbem Omnipotens DEUS unâ voce creavit,
Uno cum recreat vult DEUS ore loqui.

Ad Eumdem.

UT meruisse prius, quam nunc tenuisse Thiaram est;
Sic habuisse minús, quam meruisse fuit.

De Eodem.
Sub Ejus Augustissima Effigie.

Inspice CLEMENTEM meritumque repende, Thiaram
Debuit hanc olli prima dedisse dies.

Ad Eumdem.

VIta *Pii* Tibi, mens est *Sixti*, Suada *Leonis*;
Quam bene tres nullo schismate Pontifices.